



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annales Heremi Dei Parae Matris Monasterii In Helvetia Ordinis S. Benedicti

Hartmann, Christoph

Friburgi Brisgouiae, 1612

Vldaricvs II. Ex Baronibvs A Vinide Abbas Heremi. XVIII. Et Princeps Imperii
Primvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38545



VLDARICVS II. EX
BARONIBVS A VINIDE

ABBAS HEREMI. XVIII.

ET PRINCEPS IMPERII

PRIMVS.

HIC Vldaricus est, qui nouo dignitatis titulo, & ipse illustrissimus inter Principes Imperij primus è nostris locum, sedemque obtinuit. Sed quo tempore ipse exornatus fuerit, vbi eo annorum series deducet, memorabimus. Igitur, vti incepimus, quæ eo vsque gesta, & rerum ordinem persequamur. Elegerant Tigurini quoque rerum suarum præfectum Rudolfum Comitem Habsburgi, eoque ductore baronem à Regensperg vicinum paucis annis ad extrema redegerant, debellarant-

A. D. N.
CID. CC.
LXVII.

que, superant Comites Toggenburgi qui cum barone opes coniunxerant, & ditionem Tigurinam sapius vastauerant. Illis quoque domandis animum Habsburgiensis adiecit, & eorum arcem Vtznabergam munitissimam haut procul opido Vtznaco, vnde non modo in Tigurinos, sed vicinis quoque & nostris possessionibus ac subditis damna grauissima fiebant, obsessam tenuit pene hiemem totam. Postremo praesidiarijs deserentibus xi. kalend. Martias anni Sexagesimi septimi, sexto, quam copijs circumfederat mense, occupauit, & incendit, regionemque propinquam, & adiuncta aedificia suis praesidijs eius tyrannide liberauit. Mense septembri sequenti Cunradinus ex Sueuia, adferro in societatem Friderico duce Austriae, res contra Andegauensem repetitum cum exercitu valido in Italiam tetendit, Veronae hiberna habuit. Proximo vere, Papiam, & hinc Pisas, postremo in Apuliam penetrauit, praelioque cum Carolo congressus, victus & captus est, breuique Neapoli cum eodem Friderico xiv. Kal. Nouembres capitis damnatus. In utroque

A. D. N.
CID. CC.
LXVIII.

nobilissimae Sueuiae, & Austriae ducum familiae extinctae. Decembri sequenti obiit quoque Clemens iv. vacauitque sedes annos duos, menses nouem. Annus sexagesimus nonus, bellis vndique frementibus, turbidissimus fuit Sueuia post Cunradini caedem in praedam cuiuslibet versa, & Rudolfo Comite Habsburgense grauissimum bellum cum episcopo Basiliensi gerente, & tracta in eius auxiliu tota pene Heluetia. Anno septuagesimo Ludouicus nobilis a Liebeg vendidit Vlrico abbati praefecturam (advocatiam vocat) vici Eredingae quam Heremitarum beneficium ab Comitibus Rapersvillanis acceperat, multis conditionibus, quibus inter ceteras pollicebatur se intra sexennium effecturu eam vti conditionem ratam Comes habeat: & nisi impetrauerit pecuniam se redditurum: si in hac quoque mora sit, Arouiae se donec exsoluatur cum fideiussoribus Cunone milite de Liebeg, & Arnolde filio milite, & Hildeboldo milite de Heidegge obsidem mansurum. Signatum instrumentum sigillo nobilis viri Marchuardi de Volhuse nec non suo, &

A. D. N.
CID. CC.
LXX.

Cunonis

Cunonis militis de Liebegge, & Hildeboldi militis de Heidegge Kalend Octobris. Anno Septuagesimo primo tandē post longam vacationem lectus pontifex Theobaldus archidiaconus Leodiensis, qui tunc Ptolomaide cum Oduardo Angliæ rege Ludouicum Galliæ regem expectabat, vt coniunctis cum Abagaro rege copijs, aliquid contra Saracenos nobile exsequerentur. Nuncio electoris accepto, subito Odoardus naues dedit, quibus in Italiam rediret. Viterbium cum peruenisset, vbi eum Cardinales creauerant, consecratus, & Gregorius x. dictus præfuit cū laude pene quinquennium, vir in omni vita clarus, singulari rebus gerendis prudentia, & animi firmitudine, humanitate, clementia, largitate in pauperes, & afflictos præstabili. Prima illi cura componendæ Italiæ, quæ per duarū nobilissimarum ciuitatū, Genuæ, & Venetiarum discidia, & cōtentiones turbabat: Mox Germaniæ, quæ ex schismate, & interregno corruptissima erat, rebusque Orientis instaurandis, quæ post Oedoardi regis reditum, & Ludouici mortem erant perditissimæ. His, alijsq; de causis Concilium Lugdunum indixit, & anno sequenti magna frequentia celebrauit. Inde seuerissimo decreto Germaniæ principes admonuit, Cæsarem vti designarent, protectoremque Ecclesiæ, antiqua ex consuetudine nominarent: quod si porro negligenter sese ex alia natione adsumturum, & Imperij decus, & dignitatem translaturum. Igitur anno Septuagesimo tertio æstate iam adulta Francoforti plerique conuenere, tertioque Kalend. Octobris, post varias contentiones contra maximè nitētibus Alfonso Hispani legatis, Rudolfum de quo diximus, Comitem Habsburgi, & Alfatia Landgrauium, qui tum adhuc in obsidione Basiliensi erat, regem Romanorum legerunt. Is subito cum ijs, quas habebat copijs Fracofurtum, & inde comitatibus Principibus, Aquis granum profectus ab archiepiscopo Coloniensi coronatus est, mox Lausannam ad Gregorium pontificem, vt inter se constituerant, accelerauit. Exacto cum pontifice, qui eo Lugduno venerat, Lausannæ colloquio, anni sequentis initio Basileam, & inde Tigurum se contulit. Illic

A. D. N.
CIC. CC.
LXXI.

A. D. N.
CIC. CC.
LXXII.

A. D. N.
CIC. CC.
LXXIII.

A. D. N.
CIC. CC.
LXXIV.

confideratis quanto honore, amore, veneratione, liberalitate, munificentia, antecedentes Imperatores, & Cæsares, nostrum monasterium complexi essent, quantà religione, & frequentia ob manifestam per tot miracula, & vota DEIPARÆ Matris presentia, toto Imperio locus coleretur: quanta postremo monachorum inibi agentium nobilitas, & ortus claritudo, præsidiumque sanctitudo, & totius Collegij integritas, & auctoritas esset, Vdalricum Abbatem in Principum Imperij numerum VII. kalend. Februarij primum adlegit, vtque, tamquam Principem, subditi, & monasterio annexi colerent, & obedientia agnoscerent, hoc eximio Diplomate sanxit, & imperauit.

RVDOLFVS DEI gratia Romanorum Rex semper Augustus. Vniuersis sacri Imperij fidelibus ad quos presens scriptum peruenerit gratiam suam, & omne bonum. Stipari caterua multiplici inclitorum Principum sacri exornat Imperij Principatum. In multitudine etenim splendescens cohortis resulget Princeps Principum titulis gloria coruscantis. Cum itaque venenabile monasterium Heremitarum Ordinis sancti Benedicti Constantiensis Diocesis per deuotionem puritatis, & sinceritatem fidei presidentium tanta gratia, tantique honoris à Diuis Imperatoribus, & Regibus nostris predecessoribus promeruerit incrementum, vt quicumque predicti Canobii debeat Abbas existere, idem Imperiali Sceptro à Romanorum Rege de administratione temporalium investitus Principum consortio debeat resulgere; Nos speculo circumspeditionis Regia specularantes honorificentiam venerabilis Abbatis Vlrici memorato Monasterio Abbatia titulo presidentis eundem collegio nostrorum Principum aggregantes, Sceptro Regio Principatus apicibus fecimus insignitum. Mandantes vniuersis predicta Abbatia ministerialibus, militibus, subditis, & subiectis quatenus eidem, tamquam suo Principi, in omnibus ad administrationem temporalium pertinentibus deuote, ac fideliter pareant, & intendant. Datum Thuregi VII. Kalend. Febr. Anno Domini M. CC. LXXIII. Iudictione secunda, Regni nostri anno primo.

Quæ se-

Quæ secuta est æstate frequentem Norinbergæ proce-
rum regni conuentum Rudolfus habuit. Abfuerunt soli O-
thagarus rex Bohemiæ, & Henricus dux Bauariæ. Contra
eos Principum omnium arbitrio tamquam rebelles, & pub-
licæ pacis perturbatores decreta omnium arma. Sed alijs
negotijs distulit aliquamdiu Rudolfus. Mense Augusto eius
dem anni mortē obiit Eberhardus episcopus Constant. Suc-
cessit Rudolfus ex Comitibus Habsburgi Lauffenbergæ
Dominus, Basileæ præpositus, Rudolphi regis patruelis. An-
no Septuagesimo quinto exstitit qui se Fridericum II. Impe-
ratorem ferret, multosque per dolum seduceret. Accessere
vrbes integræ quæ contra Rudolfum fraudulenter opes pol-
licerentur. At verò rex deprehensum flammis exanimauit,
sectatoresque eius, & fautores grauius multauit. Hinc Ba-
sileæ, aut, vt alij tradunt, Maguntiaci mortua vxore Gertru-
da, secundas cum Anna Hohenbergensi nuptias celebrauit.
Eodem tempore Rudolfus de Culma nobilis, & opulentus
varia diuersis locis prædia, & possessiones monasterio no-
stro obligatas redemit, easque ab Vldarico abbate pro be-
neficio accepit, ea conditione, vt si illi, & vxori Richensæ li-
beri essent, succederent: sin minus Richensæ genitores, qui-
bus pariter extinctis, omnia ad monasterium revolueren-
tur. Acta hæc 1 x. Kal. Nouemb. Die sequenti extremum
diem impleuit Gregorius pontifex multis in Ecclesia, & Im-
perio præclarè gestis. Post eius obitum xii. Kalend. Fe-
bruarij anni Septuagesimi sexti creatus pontifex Innocenti-
us v. Is Vldarico abbati bullam misit, qua bulla conuen-
tui potestatem facit Missæ tempore Interdicti celebrandæ,
clausis tamen januis, neque pulsis campanis, & nomina-
tim exclusis interdictis, & excommunicatis, dūmodo Con-
uentus ipse causam Interdicto non præbuerit. Sed vbi quo-
que Innocentius 1 x. Kalend. Iulias esse desijt, pontificem
legere v. Idus eiusdem mensis Adrianum v. Qui tricesi-
mum in ea dignitate diem non absoluit. Et factus hinc
summus Sacerdos xv. kalend. Octobris Ioannes XXI. di-
ctus XXI. Rudolfus verò res Imperij turbulenta serio con-

A. D. N.

CIC. CC.
LXXV.

A. D. N.

CIC. CC.
LXXVI.

stituire

stituire adorsus, primo Marchiones Badenses, & alios Rheni proceres subegit, direpta per interregnum, aut alienata veris, & antiquis possessoribus reddidit; Ciuitatibus iura sua, aut amissa, vel per vim adempta restituit, omnia fortissimi, & prudentissimi Imperatoris munia impleuit. Inde, quietis Alfatia, Sueuia, & Franconia rebus, omnem belli molem contra Othagarum conuertit, Viennam Austriae per quinque hebdomadas validè oppugnauit, in cuius defensionem cum ingenti exercitu venisset Othagarus, de pace agi captum, & in hanc formulam per arbitros transactum, vt Othagarus Bohemià, & Morauia contentus esset, Austriam, Stiriam, cetera, quæ post mortem Friderici Ducis occuparat, Rudolfo, & imperio restitueret: Ita pax conclusa est. Othagarus Bohemiam, & Morauiam Imperij beneficia solenni more professus est. In gratiam pariter cum Hungariae rege redijt Othagarus Rudolphi operâ, & auctoritate. Exeunte Majo anni septuagesimi septimi pontificatum morte finiit Ioannes, octauo dignitatis mensè. Eum breui secutus abbas Vldaricus. Tertio Idus Augusti Heremitarum principatum cum vita posuit. Præclarus antistes, & primus, vt vidimus, qui suis meritis, & Heremitarum celebritate, & reuerentiâ inter Imperij principes adscitus. Sunt qui Nouocomi in Insurbria obijisse tradunt cum pietatis ergo Romam proficisceretur. Successit Petrus ex baronibus à Schuande Glaronensis, cæ tempestate, Monasterij Custos. Ioanni quoque in summo pontificatu successor declaratus sexto post mensè Nicolaus III. cognomento ex morum integritate Compositus.

A. D. N.
CII. CC.
LXXVII.



PETRVS